

OPUSCULUM IV.
DE INVENTIONE MEDII

(EXTR. ROM. L.)

Quoniam principium syllogizandi unamquamque propositionem est medius terminus; ideo ut possimus habere modum syllogizandi ad unamquamque propositionem, de inventionem medii termini nunc est determinandum. Cum igitur propositionum alia sit universalis, alia particularis; et universalium alia affirmativa, alia negativa: de inventionem medii ad syllogizandum universalem affirmativam prius est dicendum. Est ergo sciendum, quod ad syllogizandum universalem affirmativam sumendum est pro medio id quod sequitur subiectum, et antecedit praedicatum. Cujus causa haec est: quia universalis affirmativa non syllogizatur nisi in primo modo primae figurae; sed in hoc oportet medium antecedere praedicatum propositionis syllogizando, cum universaliter subijciatur ei, et sequi subiectum ejusdem, cum universaliter praedicetur de ipso. Verbi gratia, si haec propositio est syllogizanda "Omnis homo est animal," conveniens medium ipsius est "risibile," quia id semper sequitur secundum consequentiam ipsum subiectum, et antecedit praedicatum, ut dicatur. Omne risibile est animal. Omnis homo est risibilis. Ergo omnis homo est animal. Ad syllogizandum universalem negativam sumendum est pro medio id quod sequitur subiectum, et repugnat praedicato; et hoc quoad secundum modum primae figurae, et primum secundae: vel quod repugnat subiecto, et sequatur praedicatum, quoad secundum modum secundae figurae. Cujus causa haec est: quia universalis negativa non syllogizatur nisi in tribus modis praedictis; et in duobus primis modis medius terminus sequitur ad subiectum, et repugnat praedicato; in tertio modus repugnat subiecto, et sequitur ad praedicatum. Verbi gratia si haec propositio est syllogizanda "Nullus homo est lapis," conveniens medium ipsius in duobus primis modis est "risibile," quia id sequitur ad subiectum, et repugnat praedicato. In tertio vero syllogismo, conveniens medium est "sensibile," quia id repugnat subiecto, et sequitur ad praedicatum. Ad syllogizandum autem particularem affirmativam sumendum est pro medio consequens ad subiectum et antecedens ad praedicatum, et antecedens ad subiectum et praedicatum. Cujus causa haec est: quia particularis affirmativa non concludit nisi in prima et tertia figura: et ut concludatur in prima, oportet

quod medium antecedit praedicatum, et subijciatur ei, et quod sequatur subiectum cum praedicatur de eo. Si vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere utrumque, scilicet subiectum et praedicatum, cum subijciatur utrique. Verbi gratia, si haec propositio est syllogizanda "Quoddam animal est substantia," conveniens medium ejus in prima figura est "sensibile," quia id sequitur subiectum, et antecedit praedicatum. In tertia vero figura conveniens medium est "homo," quia antecedit utrumque, scilicet subiectum et praedicatum. Ad syllogizandum autem particularem negativam sumendum est pro medio id quod sequitur subiectum et repugnat praedicato, vel id quod repugnat subiecto et sequitur praedicatum. Cujus causa haec est: quia particularis negativa concluditur in omni figura; et si concludatur in prima, oportet medium sequi subiectum cum praedicetur de eo, et repugnare praedicato cum removeatur ab eo. Si autem concludatur in secunda, oportet medium sequi subiectum et repugnare praedicato quoad tertium modum, vel repugnare subiecto et sequi praedicatum quoad quartum modum. Si vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere subiectum cum subijciatur ei, et repugnare praedicato, cum praedicatum removeatur ab ipso. Verbi gratia, si haec propositio est syllogizanda "Quidam homo non est asinus," conveniens medium eis in prima figura, et etiam in tertio secundae figurae est "risibile," quod sequitur ad subiectum, et repugnat praedicato. In quarto autem secundae figurae conveniens medium est "rudibile," quod repugnat subiecto, et sequitur praedicatum. Conveniens vero medium in tertia figura est "risibile," quod antecedit subiectum, et repugnat praedicato. Convertibilia enim antecedunt et sequuntur ea cum quibus sunt convertibilia: ideo risibile antecedit et sequitur hominem.